



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Iuramentum cæterorum. xciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAG.

rentelam vllatenus cæles episcopum, aut eius missum cui
hoc inquirere iussierit, quandocumque te ex hoc interro-
gauerit: sicut te Deus adiuuet & iste sanctorum reliquiae.

Iuramentum ceterorum. Cap. XCIII.

Ex eodē. **I** Stud sacramentum quod iste iurauit de synodali cau-
sa, quod tu illud ex te ita obseruabis, in quantum sa-
pis, aut audisti, aut ab hac die in antea inquisitus es, sic
te Deus adiuuet, &c.

*Post datum sacramentum episcopus illos qui iuraue-
runt ita alloquatur. Cap. XCIV.*

Ex eodē. **V** Idete fratres ut domino reddatis iuramenti vestra:
non enim homini iurastis, sed Deo creatori vestro.
Nos autem, qui eius ministri sumus, non terrenam substâ-
tiam vestram concupiscimus, sed salutem animarum ve-
strarum requirimus. Cauete ne aliquid abscondatis, & ex
alterius peccato vestra fiat damnatio.

Prima interrogatio episcopi aut eius missi.

Ex eodē. **E**st in hac parochia homicida, qui hominem aut spon-
tanea volūtate, aut cupiditatis, aut rapacitatis causa,
aut casu, aut nolens, aut coactus, aut pro vindicta paren-
tuin, aut in bello, aut iussu domini, aut proprium ser-
uum occiderit?

Interrogatio II.

Est aliquis parricida, aut fraticida, qui patrem, matrē,
sororem, fratrem, auunculum aut aliquem parentum in-
terfecerit?

Interrogatio III.

Est aliquis qui presbyterum, aut diaconum, aut aliquē
clericorum occiderit, vel aliquo membro detruncauerit?

Interrogatio IV.

Est aliquis vel aliqua, qui infantem proprium oppre-
serit, vel vestimentorum pondere suffocauerit, & si hoc
factum est ante baptismum, aut post baptismum, aut si in-
fans infirmatus per negligentiam parentis absque baptis-
mo obierit?

Interrogatio V.

Est aliquis vel aliqua qui alterius partum excusserit,